



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Id pluribus ostenditur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

14 DE CALCEIS HEBRÆOR.

vulgatam Judæorum consuetudinem, sed certum religionis ritum pertinere, atque eo referendum Juvenalis versum, etiam inferius docemus.

Lib. 2.
cap. 4.

VIII. Sane, si expressa Hebræorum monumenta consulimus, extra dubium erit, ipsos vulgari consuetudine jam ab antiquissimis temporibus incessisse calceatos. Moses, cum rubum ardentem tentaret accedere, calceatus erat. Nam stupendum illud ostentum propius intueri cupiens, audiit ilico vocem Dei, qui præcipiebat, *ut calceos*

Exod. 3. 5. *menta pedibus exueret.* Israelitas quoque, ex Ægypto virtute Numini eductos, calceos in deserto Arabiæ gestasse, ex eo manifestum est.

Deut. 25. 10. quod prædicet Deus, se passum non esse, ut ipsis calcei per annos quadraginta deficerent. Pariter Josua calceatus fuit, cum exercitus Dei princeps ipsi appareret, prope mænia Jerichuntis. Idem enim ac Moses accepit mandatum de calceis exuendis, *quia locus, in quo stabat, sacer erat.* Quin omnes Hebræos olim calceis usos ex eo patet admodum luculenter, quod

Ios. 5. 15. &

& in contractibus morem habuerint calceum exuendi, & vidua, quam ducere recusabat defuncti frater, leviro calceum extraxerit, de quo utroque ritu inferius multa observamus. Etenim neuter horum rituum in usu apud Hebræos esse potuisset, si non communiter cum calceis incessissent. Jam quoque Deus inter alia ornamenta, quibus beneficia sua in Judæorum rempublicam collata adumbrat, calceos apud Ezechielem recenset. Etiam Hebræi, cum volunt exprimere fluvium transiri sicco pede posse, veluti proverbii loco utuntur, *cum calceis fluvium transiri posse*. Locus est ad hanc rem apud Jesaiam insignis. Verbis figuratis fore prædicat Propheta, ut omnia removeantur, quæ impedimento forent, ne Evangelii doctrina propagaretur, Deumque dicit, vel ipsum maris rubri sinum, & septem Nili ostia ficcaturum, ita ut cum calceis transiri posset, h. e. ut non opus foret exuere calceos ne maderent. Hæc est Prophetæ loquendi ratio, ut *pro sicco pede transire*, dicat *cum calceis transire* quæ proverbiali loquendi

Lib. 2.
cap. 6. & 7.

Ezech. 16.
10.

Ies. 11. 15.